Zu WA Br I. 260 f.

Spalatino

S. Obsecro te mi Spalatine noli nimio timere, nec humanis
cogitationibus totum cor cedere. Scis quod nisi Christus me &
mea ageret, iam diu prima disputatione de indulgentiarum
deinde vulgari sermone, tandem resolutionibus & respon
sione mea ad Sylvestrum, novissime actis meis nuper prodi
turis, maxime profectione Augustana, quis enim morta
lium, horum singultum non timebat, aut sperabat mihi exitium
allaturum? Denique nuper ex urbe scripsit Olsnitzer Can
cellario Ducis Pomerani nostri, me adeo conturbasse
totam Romam resolutionibus & Dialogo, ut nesciant quomo
do compescant. Esse tamen illis propositum, non forma iuris, sed
italicis subtilitatibus (haec enim verba eius sunt) me aggre
diendi. Has autem ego intelligo venena vel mortes nisi!
Multa ego premo & causa principis & universitatis
nostrae cohibeo, quae si alibi essem, evomerem in vastatri
cem Scripturae & Ecclesiae, Romam, melius Babylonem.
Non potest Scriptura & Ecclesiae veritas tractari, mi Spala
tine, nisi haec belua offendatur, non ergo speres me quietum
ac salvum futurum, nisi vel & me penitus Theologiam intre
mittere. Sine ergo amicos putare, me insanire. Res ista
finem non accipiet si ex deo est, nisi sicut Christum discipuli
& noti sui, ita & me derelinquant omnes amici mei, & sola
veritas, quae salvet se dextera sua, non mea, non tua, aut
ullius hominis. Et hanc horam ab initio spectavi, Quod haec Chri
stianissima propositio mihi est extorta per Eccium
Deinde quia patronos suos habebit papa in futura dispu
tatione, puto non debere tam molestam videri, nisi dispu
tandi libertatem non meminerint. In summa, si ego perdar
nihil peribit de mundo. Wittenbergenses iam dei gratia, iam
eo profecerunt, ut mei nihil egeant. Quid vis? timeo miser
ne forte non sim dignus pati & occidi pro tali causa.
Erit ista felicitas meliorum hominum, non tam foedi peccatoris.
Dixi tibi semper me paratum esse cedere loco, si quia ego
Principi illustrissimo videor periculo hic vivere. Aliquando com
monendum etc. Quod iam edita vernacula quadam Apologia satis
adulor Romanae Ecclesiae & Pontifici, si quid forte id prosit
vel palato tuo conveniat. Vale citissime.

M. Luther August.